

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertatio Philologico-Critica De Annis Ahasiae Jvdaeorum Regis, Ad concilianda Loca Scripturae 2. Reg. VIII. 26. & 2. Chron. XXII.2.**

**Schröder, Johann Joachim  
Böhme, Johann Christian**

**Marbvirgi Cattorum, 1715**

§. X.

[urn:nbn:de:bsz:31-130541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130541)

interferit; quamvis ea sit Hieronymi, s. Auctoris traditionum Ebraicarum, Lyrani, Vatabli, P. Martyris, Gasparis Sanctii, aliorumque, a diverso licet principio computantium, merito rejicitur.

§. X Vir Clarissimus Ludovicus de Dieu, quamvis rotunde fateri malit, inexplicabilem, & tamen sine periculo hanc nobis esse difficultatem, quia deficientibus annalibus lateant nobis circumstantiae, quarum cognitio facilem redderet solutionem; nihilominus aliam, & sibi peculiarem, solutionem tentat: Nempe ex intuitu phraeos 1. Sam. 13:1. בַּמָּלְכוֹ בֶן שָׁנָה שְׁמוֹנֶה עָשָׂר ubi sensus esse nequit, unum annum fuisse Saulem natum cum regnare inciperet, sed unum regni sui annum fuisse exactum cum inauguratio, de qua praecedenti Capite, repereretur, aut quum delectum militum faceret, de quo versu sequenti; & propterea vertendum, *Filius anni erat Saul in regno suo*: Unde etiam hunc locum eodem ferme modo explicandum censet: *Viz. filius 42. annorum erat Achasia dum regnaret*, id est, inquit, spatium regni ejus se extendit usque ad 42. annum ejus. Annos autem illos ita computat: 22. aetatis Achasiae, 1. regiminis, 2. Reg. 8. 26. item 6. matris Athaliae, ibid. & 13. annos Joasi, quibus ille sub tutela summi Sacerdotis Jojadae regnavit, 2. Chron. 23; & 24. Ita omnes istos annos, donec Joas majorennis factus est, ad vitam & regimen Achasiae referri putat Vir Doctissimus, cum tamen istos 42. annos ante unum illum Achasiae absolutos fuisse textus manifesto satis innuat, neque constet, diversis aliorum exemplis 13. praecise annos minorem habitum fuisse, neque tandem bis computandos esse Athaliae & Joasi annos, qui seorsim referuntur 2. Reg. 11:3. & 12. 1.

§. XI. Non omittenda plane videtur expositio Junii & Tremellii, locum in Chronicis reddentium h. m.